

Georg Detharding

**Programma Qvo Ad Anatomiam In Corpore Masculino Publice hodie & per
subsequentes dies instituendam Magnificum Dominum Rectorem ... invitat**

Rostochii: Typis Joh. Wepplingi[i], [1708?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1771775327>

Druck Freier  Zugang



PROGRAMMA
 QVO
 AD
 ANATOMIAM
 IN
 CORPORE MASCULINO

Publice hodie & per subsequentes
 dies instituendam


MAGNIFICUM DOMINUM RECTOREM

Illustres omnium Collegiorum
 Præsides & Assessores

*Omnesq; omnium ordinum Cives Academicos
 ea qua decet humanitate invitat*

GEORGIUS DETHARDING

Professor Anatomiae in Alma
 Rostochienfi



ROSTOCHII,
 Typis JOH. WEPPLINGI, SERENISS. PRINC.
 & ACAD. Typogr.

Detharding, G. de gemellis conatis.



1708



Vem non Nostrum, O MEI, singularis Gemellarum connatarum & ex Hungariæ oris haud ita pridem ad nos allatarum partus, in admirationem conjecit, adeo in conceptu illarum ac conformatione Naturæ genius aberrando sibi placuit, ut dividenda conjungere & quæ conjuncta esse debuissent, dividere voluerit, undiqve tamen & quæ ad Nutritionem, & quæ ad Vitam, & quæ ad Sensum necessaria erant, organis in unaquaque illarum optime dispositis. Haud, ceu in monstris obtinere solet, quandam in illis observavimus deformitatem, quin vestitu commodo indutæ lenissimis & amantissimis verbis, hospitum, qui coram aderant, demereri studebant gratiam, & eandem facile ab unoquoque obtinebant, blanditiis ex creberrimo & frequentissimo Spectatorum accessu assuetæ; modo quod illarum natu prior, aut si tritorium (tantum enim temporis inter utriusque exclusionem intercessisse intellexi) aetatem largitur, natu major sermones magis compositos, junior magis Veneres quæreret. Imo in denudatis haud multi Vestrum quicquam conspexere, quod in ruborem vel puellas vel Vos dare potuisset, & hîc quoque Natura absconderat quæ latere debent, tot oculis haud usurpanda. Sola connexio in dorsi extremo à spectatoribus, ut nostis, & conspici & tangi poterat, puellæq; discursitando, aut rectius huc illuc pervolando, sese in terras inclinando, sibi basia figendo, sibiq; invicem sine omni molestiæ vel doloris indicio obsequendo, oblectabant oculos, ast attoni-
tas

tas servabant omnium, qui aderant, Mentēs. Injurius enim in *Vos Omnes* forem, si quando *Vestros* Oculos circa singularem illum Naturæ lusum tantum fuisse occupatos affirmarem, haud ad animum Vestrum admissis quæ Menti, cogitationum Hospitio, inde offerri poterant. Ipsi Vestri sermones, quos mecum & cum aliis de gemellis istis miscuistis, longe aliud mihi persvaserunt, & fuere ex Vestro Numero, qui præsentem puellarum statum & mirandæ connexionis nosse satagerent arteficiū, & qui in mutuo Corpore cujusvis Præses tantum sua exequatur Mandata salvis alterius juribus & actionibus omnimode illâsis? Alii de exclusione harum gemellarum firmiter sibi inxarum, susceperē cogitationem, ponderando, quam partus solitarius Matrem angat, & per quam frequenter Libitinæ tradat; harum Matre hodiernum superstitē & salva? Alii perpendere, quis tandem si quando adulescerent (sexennium quippe jam expleverant) de conjugio foret statuendum, an utraq; uni Viro justius nuberet, quam quævis illarum suum habitura foret Maritum: aut si quando una illarum Virum esset expetitura, altera mallet servare virginitatem, ceu natu secunda jamdum amabat oscula, reluctante altera? Alii cum animis suis volverunt molestias ex ægritudinibus hujus in alteram derivaturas, & ponderavere inevitabile alterius fatum, si quando una mortem oppeteret! Alii pensitarunt modos illas separandi, ut reticeam innumeras circa conspectum Harum Puellarum, cuius Vestrum subnatas meditationes. Ne vero ἀσέμβητος videri velim, Vestras, Amicissimi, mentes propalando, qui pariter Gemellas illas miratus sum, lubentissime

fateor simulac illas conspexi & connexionis tetigi lo-
cum, omnem de illarum separatione, quæ me tenu-
erat, evanuisse spem, & hoc meum iudicium confir-
matum fuisse intimiori instituto illarum examine.
Eqvidem ab organis, à quibus puellæ audiunt, nihil
foret timendum, cuius illarum Natura suum tribuit,
& iustum illis concessit locum; ast connexio illa ossæ,
infolita laticis renalis via, orificii pro exclusione recre-
mentorum interaneorum communio, infecta facerent
omnia, quæ susciperentur, molimina. Et ut mentem
meam liberaliter & candide explicem, illud quod has
infelices servat combinatas, Os est, quod à sua mole,
quando quæ magna sunt quondam ^{iesæ} vocabantur,
nomen Sacri gerit, cui ceu fulcro omnis spina infidet, &
prouti cunei instar ossa ilii tenet distincta, simulac gressus
infans meditatur, majus robur acqvirendo, crassitie sua
præ reliquis ossibus magis fit conspicuum, ictus ve-
cutrorum, forcipum, similibusque instrumentorum
Chirurgicorum facile sustinet. Hujus vero ossis lati-
tudo sese ad utramque gemellarum extendit, & curate
loquendo non nisi in ambis unum illud os est reperi-
undum, sed iusto latius, & majoris crassitiæ, ex quâ
robur, quo geminatam illam, quæ ei incumbit, molem
facile sustinet. Quod si itaque, prouti quemvis avtopsia
docere potest, ipsum hoc Os ceu naturâ se habet, à sui
dissectione manu Chirurghi peragenda securum satis est,
in his gemellis quo minus timeat, duplo, ceu omnes
circumstantiæ illud produnt, crassius, pronuntiandum
erit. Reddunt insuper memoratam separationem nul-
lam, (ut taceam quod metus lædendi interiora vitiose
in loco connexionis locata etiam audacissimum & qui-
dem

dem iustis ex rationibus à tali conamine deterreat) ut
 nus in ambis exitus laticis renalis, unum pro reddendis
 intestinorū quisquilliis osculum, foramina longe à se invi-
 cem distantia, cui enim ex puellis hæc orificia forent tri-
 buenda, quo minus altera ex denegatione eorundē sta-
 tim periret? Accedit, quod vasa pro nutritione partiū vi-
 cinarum in sanguine ad - & revehendo occupata, utri-
 usque perreptant dorsum & conjunctionis locum or-
 nant perquam copiose, quæ hinc ex sectione & separati-
 one harum miserarum non metuenda foret sanguinis
 profusio per ista momenta, quibz necesse, haud sistenda?
 Nec ergo unquam me induci patior, ut, quas con-
 junxit Deus, manu Chirurgi separari has gemellas posse
 credam. Perplacent eo magis versus, quos imagini me-
 moratarum puellarum nostis fuisse subditas, & sequen-
 tes sunt:

Corpora Binarum sic concrevere sororum

Non nisi Divina dissocianda manu.

*SZONY Patria est, Vicus COMORÆ contermi-
 nus Arci,*

Quæ nunquam Luhæ paruit imperio.

Amplexa est ulnis Helenam Lucina priorem

Horis deinde tribus nata Juditha fuit.

Exitus Urinæ patet unicus, unicus alvo,

Observant numerum cætera membra suum!

Misit adignotos tenuis fortuna Parentum,

Neu pereat tantæ Fama stupenda rei.

Interlora Latent neqVeVnt abstrVsa VIDERI

ExIgVo totVM CorpVs In ære patet,

X :

Libere

Libere sic eloqvor, quæ sentio, & quas harum puellarum ex infortunio famosarum conspectus mihi suggessit meditationes profero, sed quorsum hæc omnia eadem animi promptitudine fateor, me ista attulisse quo latissimum ostendam notitiæ corporis humani usum, ex recentissima hæc observatione, omnibus, nisi me omnia fallunt, palpabilem. Persuasissimus sum, quotquot fuimus mirandæ istius unionis spectatores, omnes nos fuisse perquam avidos curatius illa loca nosse, in quibus nexu tam forti tenebantur ligatæ, horum scire nomina, situm, figuram, usum, quo his cognitis eo felicius aberrationis normam intelligere & inde inferre potuissemus, qualis tandem futura sit harum misellarum, seu viverent, seu moriantur, conditio. Cogitate porro ipsi, si quando hic loci de vita decessissent ac theatro Anatomico fuissent illatæ, quodnam Vos non cepisset desiderium, remotis quæ fascinauerant oculos Vestros velamentis, nudam sine veste videre Dianam, & quamvis in hoc negotio facile inducimini ut credatis me opellam meam haud Vobis fuisse denegaturum, vereor tamen ut omnem Vestram sitim extinguere fuisset potis, quamdiu naturalis illarum partium nexus nondum fuisset Vobis cognitus. Sed ut pergam, omnium nostris animis conspectus puellarum quamvis haud deformium ast combinatarum, dolorem cruciatumve attulit, ut misericordia illarum tacti lubentissime volerimus conferre, si quæ cogitari potuissent modi, quibus salva utriusque vita separari possent infauste sibi junctæ; ast unde illi forent petendi nisi è penu artis
quæ

quæ manuum ope vitia corporis humani aut corrigere aut tollere sedula est, hinc Chirurgia audit; hæc autem quando Anatomiam ignorat, ignorat omnia, & hoc fulcro sibi adeo & necessario destituta, claudicat, titubat, prolabitur. Abripior nimium scientiam collaudando quæ sine vix homo hominis meretur titulum, & quæ inde non nisi inhumanos habuit Contemptores; imo majorem forsam culpam committo, quando in Vestro alloquio talia prosequi sustineo ex quibus suspicio neglecti hujus studii in Vos posset redundare. Ut enim de Vobis omnibus rectius sentiam, Vester facit frequentissimus accessus, quo, si quando Dissectiones corporis sum molitus, id quod jam publice binis vicibus factum, & ornare demonstrationes meas voluistis, & ex his Vos informare sicque mortuos adamare, quo vos Vivos eo melius pernosceretis. En! rara in Academia hacce felicitate, tertium se offert occasio ex patulis per Sectionis arteficiis Visceribus, ea quæ è re nostra esse judicaverimus, in usus nostros convertendi, cum ex Gratia SERENISSIMI AC CELSISSIMI NOSTRI PRINCIPIS DOMINI AC NUTRITII NOSTRI LONGE CLEMENTISSIMI denuo Virum morte violenta extinctum obtinuerim, cultro anatomico subijciendum. Equidem pristinus *Vester* favor, quo hæc sacra vobis placere semper fecistis testatum, me reddit securum, Vos pariter demonstrationibus in hoc subiecto instituendis frequenter fore præsentis: ast non possum quin nova hac invitatione Vos officiosissime compellem, & quam *Vester* amor omnem ex hoc studio in me redundantem molestiam sublevet, lætabundus contester.


contester. Spondeo insuper hoc officii, quo me beaveritis, genus, me ad quævis redhostimenti loco Votis exhibenda servitia nunquam non fore incitaturum. Adeste ergo & spectatum venite. Dabam è Musæo d. XIV. Jan. Anno MDCCCVIII.

Demonstrationes habebuntur hora
Illa Pomeridiana in loco
Anatomix consveto.

Tessera Anatomica:

Alius alio plura meditari potest:
Nemo omnia,





onibus à tali conamine deterreat) ut
laticis renalis, unum pro reddendis
liis osculum, foramina longe à se invi-
nim ex puellis hæc orificia forent tri-
altera ex denegatione eorundem sta-
it, quod vasa pro nutritione partium vi-
ne ad - & revehendo occupata, utri-
lorum & conjunctionis locum or-
iose, quæ hinc ex sectione & separati-
rum non metuenda foret languinis
momenta, quibus necesse, haud sistenda?
in me induci patior, ut, quas con-
Chirurgi separari has gemellas posse
eo magis versus, quos imagini me-
rum nostris fuisse subditas, & sequen-

rum sic concrevere sororum

Divina dissocianda manu.

ia est, Vicus COMORÆ contermi-
nus Arci,

quam Luhæ paruit imperio.

Inis Helenam Lucina priorem

de tribus nata Juditha fuit.

e patet unicus, unicus alvo,

t numerum cœtera membra suum!

os tenuis fortuna Parentum,

et tantæ Fama stupenda rei.

ent neqVeVnt abstrVsa VIDERI

otVM CorpVs In ære patet.

X

Libere